



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XXXI. De Virtutibus divinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO XXXI.

De Virtutibus Divinis.

SECTIO PRIMA.

Verum in Deo sint Virtutes. Vbi peculiariter de Virtutibus intellectualibus & Theologicis.

I. Virum in Deo sint virtutes.



D primum quod attinet, sintne scilicet in Deo virtutes, inde oritur difficultas; constans enim est Scholasticorum opinio, virtutes esse habitus, habitus autem, ut supra diximus, in Deo reperi non possunt, utpote qui potentialitatem sonant, & vim actuum productivam, Deus autem actus suos non producit.

II. Sunt in Deo vera & propriae dictae virtutes.

Dicendum nihilominus, in Deo esse veras & proprie dictas virtutes. Ita S. Thomas lib. 1. contra Gent. cap. 94. & prima parte, quaest. 21. ad 1. ad 1. & Quodl. 4. art. 2. Suarez Disp. 30. Metaphysicae, sect. 16. num. 58. Vasquez hic, Disp. 85. cap. 3. Granada hic, tract. 7. disp. prima, Tannerus prima parte, disp. 2. quaest. 10. dub. 2. numero 13. & alii passim.

III. Scripturae auctoritate probatur, esse in Deo virtutes.

Probatur primò ex illo Petri 1. cap. 2. num. 9. *Ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit ad admirabile lumen suum.* Quo loco, ut ait P. Salmeron, denotantur verae & propriae virtutes in Deo existentes. Quod etiam Apostoli dictum explicans Dionysius Carthusianus, *Virtutes*, inquit, *id est, Dei omnipotentis Charitatem, Pietatem, Sapientiam, Iustitiam laudatis & prae dicetis, seu invicem enarretis.* Plura ad hoc probandum afferentur infra, dum de quibusdam in particulari virtutibus erit sermo.

IV. Multae virtutes Deum maxime de-cent.

Probatur secundò: multae enim sunt virtutes, quae non solum nihil in se imperfectum aut Deo indignum continent, ut mox videbimus, sed honestissimae sunt, Deoque dignissimae: has ergo in Deo reperi quid vetat?

V. Latius patet virtus, quam habitus.

Ad rationem itaque dubitandi, num. primo propositam responderetur, quamvis in nobis virtutis nomine habitus denotetur, latius tamen patere virtutem, quam habitum; virtus siquidem, ut ex S. Thoma citato habetur, aliud nihil est, quam constans & perfecta voluntatis inclinatio ad res honestas rectaeque rationi consentaneas: Dei autem voluntatem ad haec perfectissimè & in actu secundo inclinari semper ac ferri certissimum est.

VI. Fides in Deo reperi non potest.

Quoad secundum: Utrum nimirum reperiantur in Deo virtutes Theologicae: certum inprimis est, in Deo Fidem dari non posse, utpote quae essentialiter est obscura, & cum ipse sit qui revelat, sua ipsius niti auctoritate non potest. Quando autem Scriptura dicit, omnia Dei opera esse in Fide, sermo est de fidelitate, non de Fide virtute Theologica, & per quam Deo aliquid dicenti creditur.

Idem de Spe dicendum, quae, ut supra Disp. 28. sect. 2. num. 2. ostendi, in Deum cadere non potest: Spes siquidem cum in bonum arduum feratur, ut ait S. Thomas, & ad difficultatem in re, quam quis cupit, adipiscendâ, superandam ordinetur, manifestum est hunc actum Deo non competere, utpote cui nihil arduum est aut difficile; sed omnia prona & expedita.

VII.

Spei nullo modo in Deum cadit.

Ex virtutibus ergo Theologicis una Charitas in Deo invenitur: unde ut in Epist. 1. Ioan. cap. 4. vers. 16. dicitur, *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet.* Deus nimirum & se, & nos perfectissimè diligit, sincerissimòque charitatis affectu prosequitur. Ratio autem est; haec enim virtus nullam in se imperfectionem, sed summam perfectionem continet, modumque procedendi Deo dignissimum: non est ergo cur eam quisquam à Deo removendam existimet.

VIII.

Ex virtutibus Theologicis sola Charitas in Deo reperitur.

Denique quoad virtutes intellectuales, dicen-

IX.

dum cum S. Thoma, lib. 1. cont. Gent. cap. 94. eas omnes in Deo reperi, demptis imperfectioribus, quibus non ex natura sua, sed ex limitato nostro procedendi modo, in nobis inveniuntur. Datur ergo in Deo *Sapientia*, quae est rerum per altissimas causas cognitio: Deus autem per seipsum, causam omnium infinites perfectissimam, cuncta contempletur. Secundò, datur etiam in eo *Scientia*, non prout in nobis est, nempe cum discursu, sed est notitia rerum immediata. Tertio, *Intellectus*, vis scilicet primorum principiorum perceptiva, à quibus tota nostra scientia velut à quibusdam fontibus derivatur. Quarto, *Prudentia*, non qualis in nobis reperitur, habita scilicet per discursum, & probabilibus nixa conjecturis, sed quae certitudine summâ & claritate, immediatèque discernat quid in quavis rerum peristati factu optimum sit, & rectae rationi maxime consentaneum, actusque Dei internos ac liberos respicit, & moderatur. Quintò, inter alias virtutes intellectuales in Deo repertas, numerari potest *Ars*, seu dictamen practicum de ratione & modo, quo res singulae ad extra sint producendae: de quo plura notata sunt supra Disp. 22. sect. 10. Hinc, ut ibidem dixi, Sap. 7. v. 21. *Divina sapientia vocatur Omnium artifex.* Unde & Sancti Patres rem nullam aiunt esse tam exiguum, formicam scilicet, vel apiculam, in qua sapientissimi artificis peritia non eluceat. Ad quam rem S. Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 21. *Nec auctor est excellentior, inquit, nec ars efficacior Verbo Dei.* Et tract. 1. in Joan. explicans verba illa: *Quod factum est in ipso, vita erat: Quia, inquit, Sapientia Dei secundum artem continet omnia, quicquid factum est in illo, vita est.*

In Deo reperitur virtutes intellectuales, scilicet imperfectioribus.

Sapientia, Scientia.

Intellectus.

Prudentia.

Ars.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum in Deo sint virtutes morales.

I. **N**EGANT quidam, nullamque in Deo esse volunt virtutem præter Charitatem Theologicam; omnia siquidem & facit & vult Deus propter semetipsum, seu ex amore sui tanquam ex motivo formali, juxta illud Proverb. 16. v. 4. *Unversa propter semetipsum operatus est Dominus*, ut supra Disp. 27. sect. 2. fusiùs dixi; ergo nullus ejus actus est virtutis moralis, sed omnes Charitatis tantummodò Theologicae. Ita sentire videtur P. Granada hic, Tract. 7. Disputatione secunda, num. 1. & alii.

II. At, licet actus omnis Dei, realiter loquendo, sit actus Charitatis, seu quo amat seipsum, & quicquid facit, intuitu suæ bonitatis faciat, hoc tamen non impedit quo minùs ratione nostrâ variæ in eo reperiantur virtutes morales, actus scilicet qui ex peculiari ejusmodi virtutum motivo, & ratione formali procedant, *Iustitiæ* nimirum, *Misericordiæ*, *Fidelitatis* &c. nec enim stat promissis Deus, debitamque operantibus mercedem reddit, aut misereatur merè ex amore sui, sed ob honestatem etiam peculiarem in objectis harum virtutum reperiuntur.

III. Dico itaque, licet omnia propter semetipsum operetur ac velit Deus, tanquam ob finem *Cui*, operari nihilominus cum & velle, resque varias efficere, non solum quia hæc ipsum decent, sed quia nobis etiam bona sunt, & ob particulares rationes in objectis diversarum virtutum contentas, penes quas horum actuum diversitas in Deo defumitur. Unde ulterius existimo, quamvis nullus de facto sit actus voluntatis divinæ, qui realiter non sit amor Dei, & hanc in se formalitatem habeat, varios nihilominus (ratione nostrâ) esse actus in Deo, qui simul cum hac, alias etiam formalitates contineant, & ex duplici motivo, ac veluti disparatè procedant, ita ut vel formaliter, vel etiam objectivè præcindi in eodem actu, virtualiter multiplici, possit ratio *Misericordiæ*, *Iustitiæ* &c. Unde & hæc virtutes, seclusis imperfectionibus cum quibus in nobis reperiuntur, verè & propriè secundum suas peculiare rationes, in Deo existunt.

IV. Secundò hoc idem ostenditur: nihil enim in Scripturâ, nihil apud Patres & Theologos frequentius, quàm dari amicitiam Deum inter & hominem: at certè si Deus homines merè propter seipsum amaret, & non propter ipsos homines, hic Dei respectu hominum amor non esset amicitia, sed concupiscentia; amor quippe amicitia respectu hominis consistere nequit, nisi homo propter se ametur, ergo utrumque necessariò dici debet, Deum scilicet homines & propter seipsum, & propter ipsos diligere. Confirmatur: ubique enim in Scripturâ & Patribus alia etiam virtutes, de quibus proximè dictum est, *Iustitiæ*, *Misericordiæ*, *Fidelitatis* &c. Deo ascribuntur; unde apertè deducitur, Deum ex aliis motivis, præterquam ob seipsum homines amare, & in eos tanquam in objecta tendere.

V. Dicendum itaque, varias in Deo virtutes morales reperiri: eas nimirum, quæ ex ratione formali, & peculiari tendendi modo nullam in se includunt imperfectionem: ita S. Thomas hic,

quæst. vigesima-primâ, articulo primo ad primum, Suarez Disp. trigesima Metaph. Sect. 16. num. 54. Arriaga hic, Disp. vigesima-sexta, sect. 4. Tannerus prima parte, quæst. 10. dub. 2. num. 13. Vasquez prima parte, Disp. 85. cap. tertio, & alii.

Virtutes verò illæ quæ in se involvunt, vel arguunt ac supponunt in habente imperfectionem, à Deo penitus removendæ, utpote in quem nulla cadere potest imperfectio. Siquis autem quærat, quæ virtutes censentur imperfectionem in se essentialiter includere: respondetur cum P. Vasq. citato, eas omnes hoc facere, in quarum objecto involvitur imperfectio, quales illæ sunt, quæ ad moderandas passiones, actusque inordinatos refræmandos reprimendosque ordinantur; cum enim luce clarius sit, passiones, & hujusmodi actus existere in Deo non posse; constat similiter, virtutes ad hæc essentialiter ordinatas, in eo nullo modo esse statuendas.

Quare, inquit S. Thomas, art. illo primo citato, & lib. 1. cont. Gen. cap. 92. nec *Temperantia*, quæ circa concupiscentias, nec *Fortitudo*, quæ circa timores & audacias, & illa ad appetitum concupisibilem spectat, hæc ad irascibilem, nec *Mansuetudo*, quæ circa iram versatur, in Deo sunt statuendæ, nisi metaphoricè.

Quando ergo in divinis literis laudatur Dei *Fortitudo*, & hæc ei virtus ascribitur, ut Gen. 46. v. 3. de se dicit Deus, *Ego sum fortissimus Deus* &c. & Psalm. 7. v. 12. *Deus iudex iustus, fortis*, &c. quando, inquam, hæc & alia de Deo dicuntur, non est sermo de virtute illâ morali, quæ fortitudinis nomine denotatur, quippe quæ, ut dixi, ad passionum moderationem ordinatur, quarum Deus capax non est, sed extollitur vis ejus & potentia infinita, per quam magna & mirabilia operatur. Similiter dum Deus appellatur *Mansuetus*, ut Psalm. 85. v. 5. *Quoniam tu Domine suavis & mitis*, &c. hoc non intelligitur de mansuetudine virtute morali, seu quæ ad iram moderandam deservit, sed sumi debet metaphoricè, quòd scilicet Deus ea præstet, quæ homines mansueti solent: sicut illud Gen. 6. v. 6. ubi de Deo dicitur, *Penituit eum quòd hominem fecisset*, omnes sumendum dicunt metaphoricè, cum *Penitentia* in Deum cadere nequeat, utpote qui cuncta summo consilio & prudentiâ operatur, nec ullæ ei novæ occurrere rationes possunt, cur mentem mutet, sed quod semel vult, semper vult, & immutabiliter. Ideo ergo dicitur eo loco Deus tangi penitentia, quòd nimirum sicut homines, dum verè eos penitet, rem quam fecerant destruant; ita Deus mundum, quem condiderat, decreverit destruire, non quasi tunc novam aliquam voluntatem aut decretum habuerit, sed ab æterno decrevit mundum creare, & usque ad illud tempus conservare, & ab æterno similiter statuit mundum eo tempore destruire.

Et idem est de *Obedientia*, *Religione*, *Observantia*, & similibus, quæ cum essentialiter respiciant superiorem, in Deo non nisi metaphoricè reperiri possunt, ut declarat S. Thomas cap. illo 92. citato.

Ob eandem rationem non datur in Deo castitas, quæ nimirum ad refræmandas concupiscentias ordinatur, & versatur circa passiones. Verum est quidem, Deum habere actus, quibus in objecta formalia harum virtutum fertur; honestas quippe in iis reperita, bona cum sit, & amabilis, eam Deus in hominibus amat: sicut enim Deus omne scelerum genus in hominibus averfatur, *Odio* quippe sunt

I. Volunt aliqui esse in Deo solum Charitatem Theologicam.

II. Amor Dei erga seipsum non obstat virtutibus moralibus.

III. Idem actus Dei est amor respectu Dei, & habet honestatem moralem.

IV. Ex Scripturâ & Patribus ostenditur dari in Deo virtutes morales.

V. Quamquam virtutes morales in Deo reperiantur.

VI. Quæ virtutes in Deo non reperiuntur.

VII. Temperantia, Fortitudo, Mansuetudo in Deo non ponenda.

VIII. Quæ virtutes in Deo ponuntur.

Penitentia in Deum non cadit.

Deus tangi penitentia.

IX. In Deo non reperitur obedientia.

X. Virtus castitatis in Deo non reperitur.

Sap. 14. v. 9. sunt Deo, impius & impietas ejus, ita Deo pius & pietas ejus, seu omne virtutum genus placet, singularique in eam affectu fertur. Quam ob causam Sotus in 3. dist. 33. §. ad primum, ait has virtutes in Deo existere: quem sequitur Raynaudus in Theologia natur. d. 8. q. 2. a. 5. & alii. Sed, ut recte advertit P. Granado hic, tract. 7. Disp. 3. num. 3. hoc non sufficit ut he virtutes in Deo esse dicantur; ut enim sint in aliquo, amare is debet hanc honestatem in ordine ad proprium subjectum, alioqui & penitentia erit in Deo, cum placeat ei dolor, quem homo quispiam habet de peccatis a se commissis.

XI. Deinde, si ad hoc ut quis habere virtutem aliquam censetur, sufficit ut eam in altero amet, sequeretur, profligatissimum quemque esse virtute præditum; hanc enim frequenter in alio laudat & approbat: Video meliora proboque, inquit ille, deteriora sequor: & ut recte Seneca lib. 4. de beneficiis, cap. 17. Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis probare meliora. Ventri quis, exempli gratia, & veneri deditus, temperantiam in alio & continentiam amat ac prædicat, ipse interim intemperantissimus, seque in vitiorum cæno volutans: quis hunc temperantem, quis continentem dixerit? Antiqui Philosophi integros in virtutis laudibus enarrandis libros exararunt, ex iis tamen plerique vitii erant additissimi: fugiendam gloriam, elegantissimis ad hoc institutis sermonibus, sequaces suos docebant, in id nihilominus conatu toto ac viribus incumbebant, uti nomen sibi acquirerent, & in ore omnium volitarent, ut in Prometheus Christiano ostendi d. 1. cap. 3. num. 4. & fufius Disp. 9. cap. 1. num. 2. ac deinceps. Ex quibus aperte constat, non eum virtutem aliquam habere qui in alio, sed qui in se & sibi illam amat. Amare ergo temperantiam, aut fortitudinem in alio, eamque ei optare, non est actus temperantia, vel fortitudinis, sed benevolentia: aut si id Respublicæ ergo, vel ex affectu in Deum præfert, erit amor in patriam, vel charitas in Deum.

XII. Disputant hic Theologi, utrum in Deo reperiantur vera & propria liberalitas. Pars affirmativa mihi videtur probabilior: ita S. Thomas hic, q. 21. a. 1. ad 1. ubi ait in Deo reperiri Iustitiam, Liberalitatem, & Magnificentiam: libro item primo cont. Gent. cap. 93. docet, Deum esse maxime liberalem. Idem tenet Suarez Disp. 30. Metaph. sect. 16. num. 61. Lessius de Jure & Just. lib. 2. cap. 47.

d. 8. num. 58. Tanherus hic, Disp. 2. q. 16. dub. 2. num. 13. & alii: negat tamen Vasquez 1. parte disp. 85. cap. 7. & Cajetanus 2. 2. quaest. 117. ad 1.

Ad probationem, notandum, varios dari actus liberalitatis: unus est concupiscentiam circa pecuniam, aut res pecuniis æstimabiles moderari; & hunc actum certum est in Deo non reperiri, cum concupiscentia hæc sit passio: quo solum sensu Aristoteles 10. Ethic. cap. 8. & S. Thomas 2. 2. q. 117. a. 6. ad 1. negant in Deo dari liberalitatem, præcisè scilicet prout liberalitas merè ad vitam civilem pertinet, & circa actiones politicas versatur. Alius liberalitatis actus est, rem aliquam dare ob honestatem, quæ in donando seu largiendo relict. Hic ergo, qui primarius est liberalitatis actus, cum nihil, vel in se includat, vel in subjecto arguat aut supponat imperfectionis, imò perfectissimus sit, Deoque dignissimus, in Deo est statuentus, tam circa res spirituales quam corporales, sicut in utroque rerum genere versatur Misericordia.

Hinc infero, divini Verbi præconem in templo, aut Præceptorem in scholâ, sicut si ex amore erga Deum munus illud obeant, exercent actum Charitatis; si ad ignorantiam ex auditorum animis depellendam, eorumque hac in parte inopiam sublevandam, opus Misericordie, & sic de cæteris: ita si ob honestatem, quæ in res hæc spirituales aliis communicando cernitur, doceat hic, ille concionetur, exercebit uterque actum Liberalitatis.

Id tamen cum recentioribus quibusdam notaverim, licet homines in rerum spiritualium collatione dici possint habere Liberalitatem, non tamen Magnificentiam, tum quia Magnificentia, ut passim sumi solet, opus aliquod externum denotat, ut si quis domum aliquam splendidam, aut templum, in commune præsertim bonum extruat: tum quia, ut recte hi auctores observant, homines diminuto valde modo & imperfecto ad rerum spiritualium largitionem concurrunt, & instar illius qui lapides aut ligna ad domus alicujus, vel templi constructionem portaret, qui remotè hoc modo ad fabricam illam concurrente, quamvis liberalis dici possit, non tamen magnificus. Cum ergo Deus solus res spirituales tribuat, ubi eximia hujuscemodi vel naturæ, vel gratiæ dona alicui confert, dicitur Magnificus: quæ potestas si homini cuiquam concederetur, is etiam magnifici nomen sortiri posset.

XIII. Varii dantur actus liberalitatis. Quo sensu negat S. Thomas dari in Deo liberalitatem.

XIV. Ecclesiastes concionando, & præceptor docendo, exerceat possunt liberalitatem.

XV. Magnificentia quibus competat.

In rebus spiritualibus Deus solus est magnificus.

Amare virtutem in alio, sicut cum viro cæcario.

Cujus virtutis sit amare virtutem alteri.

